



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Præbendis & dignitatibus. Consilium CCXXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

De Præbendis & dignitatibus.

S V M M A R I V M.

Vicaria perpetua.

1. Vicaria maioris altaris in Ecclesia Tornacensi an sint perpetua beneficia.
2. Res quolibet dignoscitur ex sua denominatione.
3. Beneficium quodlibet censetur perpetuum non temporale.
4. Ad perpetui beneficii subsistentiam requisita.
5. Potestas amovendi Capellanos perpetuos non probat Capellanas temporales.
6. Promissio de recedendo à beneficio, non probat illud esse manuale vel temporale.

CONSILIUM CCXXIX.

VISIS & diligenter examinatis his, quæ super manualitate & perpetuitate Vicariorum maioris altaris in Cathedrali Ecclesia Tornacensi hinc inde adducuntur, probabilius & verius nobis esse videtur, has Vicarias esse & semper fuisse non manualia sed perpetua formaliter spiritualizata beneficia; utpote habentia omnia symbola & notas perpetui Ecclesiastici beneficii; ut non possint censi vel nuda officia, vel temporales seu mercenarie vicarie. Quod primum pertrahit harum Vicariorum in Bulla Urbani VI. Pape denominatio & appellatio, qua disertis verbis appellantur *perpetue Vicarie*; ita ut ex ipsa denominatione illis inhereat perpetuitas, cap. fin. De off. Vicar. quippe natura & conditio cuiusque rei ex illius denominatione deprehenditur; id enim quidque censetur, quod nomen illius exprimit & designat. c. illud De prescript. l. labeo vers. id Tubero De supel. leg. & in natura, qualitate, ac conditione rei id esse censetur, quod est in denominationis potestate, lo. Calder. conf. 27. An impetrans de præben. potissimum in his, quæ naturaliter & communiter rei cuique insunt, & quibus nomen rei per omnia congruit, DD. in l. si uno D. Locati, nec ulla necessitas est à propria denominationis significatione ad impropiam deflectere, d. l. si uno, l. si forte de castrensi pecul. Oldrad. conf. 139. Ad habendam.

Cum igitur in natura & conditione cuiusque beneficii Ecclesiastici communiter sit, ut sit perpetuum, & in dubio perpetuum præsumatur, Steph. Bertrand. conf. 253. existimo quod vol. 6. Celsus Hugo conf. 38. In diocesi Gerundensi per e. Ad hac De off. Vicar. perpetuitas non temporalitas aut manualitas his Vicariis attribuenda est; concurrentibus, præsertim alijs omnibus, quæ ad veri perfectique Ecclesiastici beneficii naturam & subsistentiam requiruntur; ut estabilitas ex parte conferentis; & ejus, cui confertur ex Ecclesiastica conditione idonea qualitas beneficio inhærens, quæ præcipua est ut in titulum conferatur, gloss. 1. in fin. Clem. De decimis, Dominicus Gemm. in c. Si pauper in fine vers. istud dubium de præb. lib. 6. ut sit perpetua, c. Veniens De filijs presbyt. c. Sancterum, 70. dist. Oldrad. conf. 146. In Ecclesia Calaguriana; & denique Canonica institutio, per quam quis in hanc perpetuitatem velut investitur. Sunt enim hæc signa, & velut symbola veri Ecclesiastici spiritualizati & perpetui beneficii, Ioan. de Selva tract. de benef. p. 1. q. 1. Dec. ad Rubr.

cum ex huiusmodi vicariatu propriè beneficiatus dici non potuerit. Temporalem verò esse hanc vicariam satis manifestè deprehenditur ex formula juramenti, quod hic vicarius in assumendo hoc vicariatu præstare solet, in qua non obscure significatur, quod ad nutum Dominorum amoveri possit, his verbis, *si forte vobis aliquando videar amovendus*. Nam amovibilitas in beneficio, illius perpetuitati repugnat; cum perpetuus vicarius qui vicariam in titulum habet, non possit ex sola voluntate patroni aut superioris removeri, d. c. Ad hac De off. Vicar. saltem non sine iusta & Canonibus probata causa auctoritate Iudicis, quia ius in re habet, d. c. Ad hac & ibi gloss. in verb. remanere, Ant. de Butrio conf. 3. * Et sane si hæc vicaria esset perpetuum beneficium, & pro perpetuo reputari posset: non posset conferri retenta facultate vicarium amovendi, aut elegendi eundem ad renuntiationem: repugnant enim hæc naturæ perpetuorum beneficiorum, & collationi seu provisioni illorum adiecta, diminutionem in beneficio faciunt: iure autem permixtum non est: quod Ecclesiastica beneficia cum diminutione conferantur, c. 1. Vi ecclesi. benefic. sine domin. confer. Atque ita cum dictæ Tossani impetrationi nihil noceat præacta suppressio & subiecta, consequens est provisionem Tossani nullo alio vitio laborantem potiorē esse, vel ex eo solo quia tempore prior est, c. Tibi c. duobus De rescript. lib. 6. etiam si dictus Ioannes iuxta collationis literas prior præsentasset, & ad possessionem pervenisset, d. c. Tibi. Neque enim potuit per posterio-rem Ioannis impetrationem, nulla facta mentione antecedentis collationis & provisionis dicto Tossano factæ, eidem Tossano acquisitum ius auferri, l. 2. §. si quis à principe D. Ne quid in loco publico, c. 2. De decimis, lib. 6. * Et quamvis in rebus profanis eadem re duobus diversis temporibus donata, potior sit non is cui priori res donata seu donationis causa promissa tradita est, l. Quoties C. De rei vendic. in rebus tamen spiritualibus seu beneficijs, in quibus exuberantius bona fides exhiberi debet, & inconstantia seu variatio in personis Ecclesiasticis magis improbat, semper potior est cui beneficium prius donatum est, non cui posteriori, licet is prior ad possessionem pervenerit, Iason in d. l. Quoties nu. 12. d. c. Tibi d. cap. Duobus; si modo collatio priori facta iure facta sit, c. illud, c. Suggestum De iure patron. * Et quamvis Papa propter plenitudinem potestatis in beneficijs, Clem. 1. in fin. Vi lite pendente &c. de absoluta non ordinaria potestate possit alicui collatum beneficium auferre & alij conferre, c. Dudum sub fin. de sepult. Ias. d. nu. 12. hoc tamen in dubio facere velle non præsumitur, l. Ex facto in princ. & ibi Ioan. de Imola De vulg. & pupil. Innoc. in c. Dudum de decimis, & numquam nisi cum hoc aperte exprimit. Cum ergo nihil tale sit in posteriore dicti Ioannis collatione; nihil omnino illi tribuendum est, propter ius prius & potius, quod consistit in antecedente impetratione dicti Tossani; qui ob id sine difficultate ad possessionem admittendus est, si nondum fortè admissus sit, & admissus in possessione retinendus; non obstante posteriori surreptitia & obreptitia impetratione dicti Ioannis.

Rubr. De rescript. sub fin. Quæ sanè omnia ad has Vicarias & earum conditionem concurrere videntur; habent enim in successu temporum à diversis pijs fundatoribus speciales suas ad unum idemque ecclesiasticum officium fundaciones, & donationes, ut ex catalogo harum fundationum aperte constat: harum quoque Vicariarum formalis collatio, & ad collationem Canonica institutio, *cap. 1. de R. l. lib. 6.* & ex autorizabili potestate corporalis institutio, & in sede beneficij collatio, *c. Adhuc de off. archidiacon.* Id quod satis probatur ex diversis dictarum Vicariarum per successum temporum factis per Decanum & Capitulum collationibus, provisionibus, & institutionibus: quæ sic sunt omnes conceptæ, ut nullâ ratione possint intelligi factæ de manualibus aut temporalibus beneficijs, expressâ semper expressimque adiectâ formali perpetuitatis appellatione & denominatione, quæ non patitur has Vicarias alio jure censerî, quàm denominatione demonstrat, *d. l. Labeo vers. id rubero.* Quam perpetuitatem & inhaerentem perpetui beneficij Ecclesiastici qualitatem coadiuvant quoque alia, quæ his Vicarijs cum majoribus Canonicis, & in dictâ Ecclesia beneficiatis ex æquo, aut saltem cum parvo discrimine sunt communia, in fructu & emolumentorum perceptione, beneficiorum collatione, aliorumque communione & participatione; ad quam non vocantur, qui in eadem Ecclesia parvi vocantur Vicarij; sed hæc nota ab his majoribus separantur, ut illi manuales & amovibiles seu temporales dicuntur, hi vero perpetui.

3. Quia quidem perpetuitatis naturam & conditionem nihil omnino immutat vel immovet Innocentij Papæ Septimi Bulla, per quam Canonicis hujus Ecclesiæ indulgetur, ut hos Vicarios instituunt, libertate etiam eosdem amovendi concessa: nam indiscreta & nullis finibus restricta libertas, & quæ sola sit voluntatis per hujusmodi verba dictis Canonicis concessa non est; sed cum restrictione & limitatione, ut id fieri possit, *communis Capituli assensu secundum antiquam rationabilem dictæ Ecclesiæ consuetudinem*, quæ verba institutionem & restrictionem faciunt, & ad limites illius effectum rei propositæ restringunt, *l. Cancellavit de his que in testam. delent.* ut non nisi regulata libertas, restricta ad laudabilem consuetudinem, concessa videri debeat; ita ut hujusmodi verba non importent liberam & absolutam voluntatem, sed solum arbitrium boni viri, & sic certum & moderatum, *l. Thau §. sorori, l. fideicommissa in princ. de fideic. liberat. Bart. & alij in l. si sic in princ. Delegat. 1. meritis scilicet Vicariorum id exigentibus.* Ut regulariter omnes, quantumvis perpetui Vicarij suo loco amoveri & expelli possunt, si aliquid committant, propter quod suâ Vicariâ mulctari & puniri valeant, *d. c. Adhuc de off. Vicarij*: perpetuitatem enim beneficij non mutat aut alterat hæc accidentaria ex iusta causâ amovendi potestas; cum accidentaria regulariter rei naturam, conditionem, & substantiam non immutent. Nam ut perpetuum sit & censeatur beneficium, satis est, quod in voluntate & potestate beneficiati sit, ut quamdiu vivit, possit esse perpetuus Rector. Perpetuum enim pro se subiecta variè accipitur, & in hoc juris articulo

de perpetuitate beneficij ad differentiam manualis, perpetuus censetur, qui sine præfinitione temporis in beneficio institutus est, sufficitque ob id, quod ex destinatione sit perpetuus, & perpetuus manere possit, *c. 1. de capel. monach. lib. 6. gl. in v. perpetuus in c. fin. De rescript. lib. 6. Bald. in l. Ex facto sub fin. De hered. institut. Decius conf. 472. Testator legavit nu. 21.* Unde in casu hujus concessæ amotionis, non tam voluntas amovementum, quàm factum ejus, qui amovetur, in consideratione habetur: cum in vera & propria manualitate & amovibilitate nulla sit consideratio voluntatis, seu facti ipsius beneficiati, sed ipsius superioris, qui sic suo nutu ex solo voluntatis motu constitutum in officio vel beneficio amovere & inde avocare potest, *c. Cum ad monasterium §. tales c. 2. §. priores de stat. monach. Clem. 1. de suppl. neglig. Præl.* quali quâ manu constituti sunt, eadem amoveri possunt, & velut ad beneplacitum superioris habeantur, *Card. in d. Clem. 1. §. præmissa nu. 7. Bened. Capra tractat. regular. reg. 73. nu. 4.* Cum ergo in Innocentij ista Bulla amotionis libertas non in voluntate Capituli, sed in laudabili consuetudine ponatur; perpetuitati harum Vicariarum inde nihil detrahatur. Nam & hoc in omnium etiam perpetuorum beneficiorum conditione & natura est, ut ex rationabili causa eorum possessores ab eis removeri seu amoveri possint: ut expresso jure cautum est, *in d. c. 1. de capel. monach. lib. 6.*

Ex qua etiam consideratione non alteratur harum Vicariarum natura ex formula juramenti, quod ab his Vicarijs cum instituuntur exigitur: quo iurejurando promittunt suæ Vicariæ cedere & renuntiare, si Decano & Capitulo amovendi videbuntur: nam ex sensu juris, *d. c. 1. de capel. monach.* id quoque accipiendum est de amotione ex iusta & rationabili causâ; quæ amotioni facultas perpetuitati beneficij non derogat, nec facit illud absolute manuale esse: cum nec Papa presumatur in dubio id velle, *Ioan. Calder. conf. 26. an in reservationibus. de præben. & in potestate Capituli non sit beneficij substantialem & ordinariam naturam alienare; præsertim illorum collatione atque institutione*; nam quâ parte alteratio beneficij conditionem strictiorem facit, illi detrahatur, illudque diminuit, quod jus non patitur, constituta regula, *ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur, c. 1. v. eccles. benef. sine dimin. confer.*

Omnibus itaque exacte expensis manifestè deprehenditur has Vicarias esse & censerî perpetuas & minime manualia beneficia; & in omnibus juris partibus ut perpetua regulanda esse, & nullâ ratione confundenda, aut permiscenda cum manualibus beneficijs.

De præbendis & dignitatibus.

S Y M M A R I U M.

Capellania requirens residentiam.

1. Beneficiorum qualitas ex tempore & usu mutatur.

In beneficijs statum ultimus inspiciendus.

C O N S I L I U M C C X X X.

SI ad primam originem ac fundationem Capellaniarum, quas Illustris memoria Regina Machtilidis Comitissa Flandriæ in anno 1215

menſe